este papel se reasumio en el del nº antecedente 17. y asi no se embio a ge Vª y estas partes permanecera el del nº 17. y lo que se sigue (en quanto a ge Vª) el nº 19. por 18. y el nº 20. por 19. et sic de ceteris.

Quod nihil obstet quo minus fiat definitio de praeseruata B. V. ab originali peccato

Montenegro

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

1.º non obstat quod Conc. Trid. noluerit definire. Nam quod Conc. Ephesinum indefinitum reliquit de processione Filij a Patre et Spiritu Sancto quod affirmabat Cyrillus Alex. negabat autem Theodoretus, postea definitum est sine Concilio, addito ad symbolum (Filioque) quod concilium Florent. recte factum pronunciauit. In Conc.º Florent. indecisum mansit quibus verbis fieret consecratio Euch.ª quod est deinde definitum in Tridentino fieri verbis Domini. Idem iudicium de insolubilitate matrimonij quod in eodem Flor. Conc. indefinitum, definitum est a Trid.º Leo X. Pius V. Greg. XIII. Clemens VIII multa vel definierunt, vel vt erronea condemnarunt sine Concilio. Abstinuit autem Trid. a definitione, quia incidenter tantum proposita est ea controuersia: et non sine causa timere potuit, ne si definiret, aliqui exacerbati, transirent ad partes Haereticorum Lutheri et Caluini. Iam vero ab 80 annis, ex quo celebratum est Trid. Conc: cessauit ista causa, et multo magis clare constitit controuersiam istam posse definiri, cum etiam tempore opinio pia inualuerit et nullum fere probabilitatis locum reliquerit. In actis demum Concilij eiusdem leguntur longe plures episcopi absque comparatione tulisse sententiam pro immaculata conceptione:

2. non obstat, ne Ordo Praedicatorum videatur offendi et contristari, aliquidque ipsi decedere de sua existimatione atque doctrina S. Thomae. Nam post tempora S. Thomae desijt opinio contraria habere tantam probabilitatem, atque nostram Ecclesia tota, paucissimis exceptis, amplexa est, quam etiam constat mirifice alere pietatem, et certis prodigijs hac quoque nostra aetate comprobatam. Cypriano, Hieronymo, Augustino, Basilio, tot alijs, nihil detractum est, eo quod nonnullae ipsorum opiniones reiectae sunt. Nonnullas item S. Thomae opiniones Ecclesia non sequitur, ut de voti solemnitate ac indispensabilitate, de irregularitate ex homicidio cum moderamine inculpatae tutelae et similes alias. Quod attinet ad Ordinem ipsum Praedicat.; si quod eam de S. Tho. dictum est attendatur, nihil habet quod queratur. Extat etiam catalogus Ill.mus Card. exhibitus, plurimorum ex eodem ordine, qui consentiunt cum communi sententia, imo ipsiusmet S. Dnici. S. Vincentij. etc. et ex principijs ipsiusmet S. Tho. apertissime deducitur. Denique fatetur Canus et Soto non posse contrariam opinionem praedicari absque offensione et inuidia etiam apud doctissimos: et in manuali Praedic. edito ante annos 90 prohibetur ne in Ordine illo doceatur et praedicetur tamquam valde scandalosa. Accedit, quod pluris fieri debet reliqui omnes ordines religiosi omnes, ex quibus Cistercienses a suo S. Bernardo hac in re recesserunt et omnes Academiae, et omnes plane Catholici; et nunc Regis Philippi tam enixa flagitatio, ut res haec definiatur, quam unus Ordo Praedic. qui etiam non totus hac est in contraria sententia. Immo quantumlibet contristaretur Ordo Praedic., contristatio ista esset in bonum ipsius; ut praecidatur ijs occasio maleuolentiae caeterorum, et ne praetextu nescio quo, calumnientur et castigentur ac in ius trahantur piam opinionem praedicantes et comminiscendi falsas reuelationes, ut Bernae in Heluetia anno 1509 quatuor ex ipsorum ordine illa de causa combusti. Ut omittantur incredibiles rumores;

nuper in Hisp. et Indijs ab ijs excitati, et admodum scandalosæ, erroneæ, hæreticales proponens aliq. ut authentici processus traditi S.mo D. N. et Ill.mis Card. fidem faciunt.

3. Non obstat ne præbeatur Hæreticis ansa calumniandi Ecc.am quod absq. fundamento scripturæ ac definiat. Immo caveat qui ita de opinione pia loquuntur, ne dicent Ecc.am quæ illam laudat et recipit, quod satis aperte declaravit non esse illam contra scripturas et Patres. Assumptio certe B. V. quæ passim admittitur, minus habet fundamentum in scrip. et Patribus, quam conceptio immaculata. Hæretica contendunt contra Ecclesiæ sensum sentire propterea ipsis licere absque nota temeritatis et erroris sententiam illam de Concep.e B. V. immaculata sentiunt Dominicani sine simili nota. Insultant quoq. tali novum in Ecc.a quasi in hac re à scrip.is et Patribus recedat, ut ante dictum est.

4 Non obstat quod anno superiore D. N. bullam ediderit de hac re, et cum definire quod videatur levitatis argui posse. Nam in ea bulla nihil continetur, quo contraria sententia probabilis sed gravioribus tantum pænis continetur in officio, qui aliorum Pontificum bullis circa rem eandem non parebant. Non ante etiam ipsi ultima Dominicani. Idcirco efficaciore remedio opus est. Hoc nullum aliud videtur, quam de fide; quia solum præceptum hactenus non sufficit: et si modo solum novum præceptum imponatur de non prædicanda contraria sententia, timeri potest similis inobedientia; et ne ab alio Pontifice extorqueat dissolutionem huiusmodi præcepti.

Jn hac quaestione tria summa capita sunt. Primum. An Jmmaculata Conceptio Beatae Virginis, et praeseruatio ab originali peccato sit definibilis. Secundum. An expediat definiri. Tertium. quomodo, et quibus medijs debeat definiri.

CAPUT I.

D sit definibilis dubitare non potest, qui attenderit ad extrauagantes, quae sunt in corpore iuris Sixti 4. Cum praeexcelsa, et Graue nimis, approbatas, et renouatas a Tridentino Conc.° Pio V. Paulo V. et Grauenimis ab Alexandro VI. Jn quibus opinio contraria toleratur, et prohibetur, ne quis eam damnet ut haereticam, aut erroneam, quia nondum ab Ecclesia definitum est; Potest ergo definiri.

2° Quia res minoris momenti definitae sunt, ut, nullum in Beata Virgine peccatum actuale, ne ueniale quidem fuisse: Item animas Justorum Deum uidere ante generale iudicium &c. Huc similiter reuocari potest canonizatio Sanctorum pro qua minora sunt argumenta, quam pro hac (si ita loqui placet) Beatae Virginis canonizatione.

3° Quia nihil obstat; imo non minora suppetunt media, quam pro alijs rebus iam in ecclesia definitis.

4° Quia communis opinio est; atque definitionem istam Turrecremata a Synodo Basiliensi, et Caietanus a Leone X° in Lateranensi (uterque Cardinalis Dominicanus) enixissime flagitauerunt.

5° Quia S.ta Brigidae reuelatum est non tantum a Christo Domino sed ab ipsa Deipara, quod originale non contraxisset, sed etiam fore ut aliquando definiretur.

6° Quia Concilium Basiliense (quamuis tunc schismaticum) definiuit: et octo annis post Synodus Auenionensis renouauit illud decretum praesentibus duobus Cardinalibus a Sede Apostolica legatis: omittimus alia plura.

CAPUT II.

D expediat definiri patet 1° ex proxime dictis praesertim num° 2. et 5. capitis primi.

2. Quia praeterita decreta Sixti 4. Concilij Tridentini, Pij V. Pauli V. et Alexandri VI. non sufficiunt, ut testantur tot, ac tanti rumores nuper excitati, praesertim in Hispania, et in Jndijs: Jn Flandria quoque ut Louanij: Jn Jtalia ut Cremonae et Romae; ac saepissime uarijs in locis (Gallia excepta propter auctoritatem Theologorum Sorbonicorum, et propter ibi damnatum olim Joannem Montesonum Dominicanum: et in Heluetia ob combustos Bernae quatuor item Dominicanos).

3. Ne haeretici (ut reipsa nunc faciunt) argumententur consensum Ecclesiae non facere rem certam, cum tota fere teneat praeseruatam Beatam Virginem ab originali peccato, cuius contrarium tamen asserere permittitur.

4. Non est uerendum ne Haeretici obijciant definiri rem contrariam Pauli uerbis ad Rom. 5. (Jn quo omnes peccauerunt) sciunt enim Catholici nullum scripturae locum conuincere ne contradicant Conc.° Tridentino neganti esse suae intentionis comprehendi Beatam Virginem Decreto suo de originali peccato. Sciunt etiam doctrinam esse S.ti Hieronymi ad Damasum Papam, et quamplurium Doctorum propositiones uniuersales sacrae scripturae non semper uniuersaliter esse exponendas, quod etiam affirmat Fulgentius de incarnatione et gratia Christi; et constat ex illo Jeremiae 6. A minimo usq. ad maximum omnes auaritiam sequuntur. et ad Philippen. 2 omnes quae sua sunt quaerunt non quae Jesu Christi; et psalm. 13. omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt: et psalm. 115. omnis homo mendax: et Joan. epist. 1. cap. 1. Si dixerimus quod peccatum non habemus, mentimus, et nos seducimus, et ueritas non est in nobis. Quae omnia, et alia sexcenta quamuis uniuersalia sint Virginem Matrem non comprehendunt, quia de lege communi loquuntur

UNIVERSITARIA DE GRANADA